



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio LXVIII. De spiritualitate & simplicitate Angelorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

generacionem necessaria quam citissime applicant, eamque momento producant.

Ad hæc dici posset prædictos effectus refundi posse in Deum. Sed contra: ad causam namque primam circa rei alicujus productionem nunquam est recurrendum, nisi ubi constat nullam existere secundam, quo rem illam efficiat. Adde, ex actionibus hisce multas, & flagitiosas esse, & in odium Dei & injuriam factas, quarum proinde auctor esse non potest Deus.

Existimo tamen non esse certum effectus illos omnes in animas hominum separatas refundi non posse, utpote quæ, ut intelligendi, ita & corpora movendi virtutem habent multò magis expeditam, quam dum moli corporeæ & corruptibili erant alligata: quare hoc argumentum; quamvis sit probabile, existimo tamen Angelorum existentiam per illud non convinci.

SECTIO SECUNDA.

Alia existentia Angelorum probationes.

VI. Deo tribui nequeunt prædicti effectus.

VII. Probabile est effectus illos refundi posse in animas hominum separatas.

I. Ex eorum cælestium non est certum dari intelligentias eorum motus.

Cælorum motus potest fieri à Deo immediatè.

TERtia existentia Angelorum probatio ex sphaerarum cælestium motione desumi solet, utpote per quam Aristoteles in Angelorum, seu Intelligentiarum, ut loquitur, cognitionem devenit. Hæc tamen probatio non est efficax: ut enim Platonis, & aliorum quorundam ex antiquis opinionem vel potiùs somnium omittam, qui cælum aiebant esse animatum: ut omittam etiam eos qui hunc Cæli motum esse dicunt ab intrinseco, sphaerasque hæcæ cælestes ex innato appetitu suum mundo sublunari influxum communicandi, à propriâ formâ circumagi, & moveri circulariter: hæc inquam ut omittam, quidni dicere quis posset quod affirmat Lessius de perfectionibus divinis, lib. II. cap. 8. hunc Cælorum motum immediatè à solo Deo procedere. Sanè quamvis existi-

mem hanc cæli motionem de facto fieri ab intelligentiis, hoc tamen non est evidens, ac proinde nec certum inde deduci argumentum ad existentiam Angelorum demonstrandam.

Nullâ ergo ratione naturali ut rectè Valentia I. p. Disp. 4. q. 1. punct. 1. Meratius, Tannerus hic Disp. 5. q. 1. dub. 1. num. 6. & 9. & Arriaga tom. 2. in 1. p. Disp. 1. sect. 1. num. 5. & alii, probari efficaciter potest dari Angelos, sed existentia eorum probatio ex Scripturis est desumenda. Psalmo itaque 8. v. 6. de Christo dicitur: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*; naturâ scilicet & perfectionibus ad eam spectantibus: in gratiâ enim & gloriâ, donisque supernaturalibus haud paulò fuit Angelis superior. Secundo etiam Regum, cap. 14. v. 20. ad Davidis Sapientiam exaggerandam dictum est: *Tu Domine mi Rex sapiens vobis ut vobis sicut habet sapientiam Angelus Dei*. Matth. item 22. v. 30. dicit Christus. *In Resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei*: & cap. 18. v. 10. *Angeli eorum semper vident faciem Patris*. Idem docent Sancti Patres, ut optimè ostendit P. Stephanus à Bubalis, in Commen. de Angelis. q. 5. art. 1.

II

Ostenditur esse Angelos tum ex natura tum ex testimonio.

III

Quadam circa Angelos sanctorum Patrum doctrina explicatur.

Quo sensu Anima sit Angelus probatur.

Ad quorundam tamen Patrum, S. Augustini præcipuè & S. Bernardi explicationem, qui interdum asserunt, animâ rationali nil Deo esse propinquius, interdum substantiam Angelicam esse animæ hominis parem, nihil animâ esse melius præter Deum, & similia: ad horum inquam intelligentiam notandum ipsummet S. Augustinum ex his quædam retractasse: unde lib. 1. retract. cap. 26. sic habet. *Vbi dixi, quod omni animâ est melius, id Deum dicimus, magis dici debuit omni creato spiritu melius*. Intelligi etiam hæc possunt, quòd anima sit par Angelo in gradu substantiæ Intellectualis generatim sumpto; vel in donis gratiæ: multi enim homines multis Angelis sunt in gratiâ & gloriâ æquales, aliqui omnibus superiores; quod de Christo certissimum est, nec dubitari potest de Virgine.

DISPUTATIO LXVIII.

De spiritualitate & simplicitate Angelorum.

SECTIO PRIMA.

Præmittuntur quædam de loco, & tempore creationis Angelorum.

I. Non sunt ante mundum in aliquo præteritè.



EXISTUNT itaque, ut Disp. præcedente ostensum est, substantiæ quædam spirituales, homine perfectiores, quas Angelos vocamus. Eos tamen ab æterno non fuisse creatos, tanquam fide certum tenent hodie Theologi omnes cum S. Thoma hic, q. 61. art. 2. Proverbiorum siquidem 8. v. 22. ex personâ sapientia genita dicitur, *Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret, à principio, &c.* Idem definitum est in Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio, hebeturque cap. firmiter de summa Trinitate.

Imò non longo aliquo ante mundum corporeum tempore, ut Patres quidam Græci volunt, sed unâ cum eo sunt producti, ut docet S. Thomas, q. illâ 61. cit. art. 3. corpore, cum S. Augustino, Gregorio, Bedâ & aliis: ex Græcis verò idem tradit S. Epiphanius, & Theodoretus, licet hic postremus debili nitatur fundamento, quòd scilicet Angelus loco indigeat in quo recipiatur. Hæc verò etiam assertio probatur ex eodem cap. firmiter ubi dicitur *Deus simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam, Angelicam & mundanam & deinde humanam*.

II. Ostenditur non fuisse creatos ante mundum corporeum tempore.

Illud tamen simul non ita rigorosè accipiendum est, quasi eodem temporis momento omnia condiderit, ut vult S. Augustinus, qui ut supra vidimus, sex illos dies creationis Universi non per tempora distincta, sed per diversam tantum Angelorum cognitionem, *Matutinam scilicet & vespertinam*, tanquam *vessere & mane* distinguebatur.

III. Quo sensu Deus omnia condiderit simul ab initio.

Simul

Simul ergo illud conjunctionem denotat in duratione quoad successione, ita ut rerum sex illis diebus factarum productio non fuerit moraliter, seu longo aliquo temporis intervallo interrupta.

IV. Simil cum Celo & in ipso creati sunt Angeli.

Simil itaque cum cælo creati sunt Angeli, cum dicat Scriptura *In principio creavit Deus cælum & terram.* per quæ verba significatur, nihil ante cælum & terram fuisse conditum. Imò in ipso cælo creatos fuisse verisimilius videtur; cum enim partes sint Universi, congruum fuit ut in aliqua illius parte crearentur, ut docet D. Th. hic, q. 61. art. 4. nulla autem Universi pars ad hoc munus convenientior cælo. Deinde, cum Angelorum via fuerit brevissima, & in Cælo peccaverint, probabilius videtur illic etiam fuisse creatos.

V. Verisimilius est in ipso Cælo Empyreo Angelos fuisse productos.

Uterius, quamvis Suarez hic, lib. 1. cap. 4. velit eos, non in Cælo Empyreo, sed aliquo alio, cælo scilicet sydereo, fuisse creatos, quòd nimium, si hoc dicatur, clarius multò intelligatur dictum illud *Luciferi; In Cælum ascendam &c.* nempe in cælum cæli seu Empyreum: ob communem tamen omnium Theologorum auctoritatem probabilius existimo fuisse eos in ipso cælo Empyreo productos, ut docet S. Thomas proxime citatus. Ad illud quod asserbatur in contrarium, Respondetur cum S. Thoma art. illo 4. ad tertium, Cælum in quod ascendere voluit Lucifer, non fuisse cælum aliquid corporeum, sed ipsum Thronum Dei, cui in potestate, dignitate, & gloria volebat esse æqualis. Videatur Suarez, hic, lib. 1. cap. 3. & 4. Valquez 1. p. Disp. 224. & 225. Tannerus hic, disp. 5. dub. 1. à numero 27. ubi hæc multò fufius disputant.

In quod Cælum ascendere volebat Lucifer.

SECTIO SECUNDA.

Sintne Angeli incorporei.

I. De Angelorum spiritualitate.

HI ergo de loco & tempore creationis Angelorum suppositis. Primò circa illorum substantiam inquirimus, utrum sint incorporei: Corporeitas verò, quæ eis affingi posset, est duplex, vel scilicet ut eorum substantia sit penitus corporea instar cæli, solis, & stellarum, vel saltem quod aliquid corporeum in se contineant; & ex eo tanquam ex parte componantur.

II. Quidam Angelos dicunt esse corporeos.

Non defuerunt olim nonnulli, qui Angelos asserbent usquequaque esse corporeos: in quem postea errorem incidisse videtur Tertullianus, nec Angelos tantum sed animam etiam hominis, imò ipsum etiam Deum aiebat esse corporeum. De quo proinde S. Augustinus lib. 10. de Genes. ad literam, cap. penult. *Timens, inquit, ne nihil esset, si corpus non esset, nec de Deo voluit aliter sapere.* In eodem errore est Cassianus Colla. 7. cap. 18.

III. Quinam ex parte eos statuunt corporeos.

Plurimi verò ex Patribus, tum Græcis tum Latinis, licet Angelos non statuunt omninò corporeos, sicut eos prior statuebat sententia, asserunt nihilominus eos non esse corporis penitus expertes, sed præter substantiam spiritualement, quam includunt, tenui quodam corpore ex materia aërea, vel ignea constare, sicque ut partem sui essentialem utrumque involvere: ita Origenes, Cælius, S. Basilus, S. Athanasius, qui Angelum definit esse *animal rationale, materia expert, huiusmodi cantendis aptum*, licet per animal velint aliqui cum intelligere vivens, ne sibi contradicat, dum addit *materia expert.*

IV. Idem tenet Rupertus: imò S. Bernardus lib. 6.

de consid. cap. 4. cum eis corpora tribuisset, addit, *si qui dixerit id inter opinabilia esse ponendum non contendo.* Item Ser. 5. in Cant. ait Patres super hæc re in diversas abiisse sententias, nec sibi quid de eo sentiat, satis esse exploratum. Eandem variis in locis sequi videtur sententiam S. Augustinus; ait enim eos habere lucidissima corpora aetherea, licet hominum resurgentium dissimilia. Definire etiam non vult an Demones cruciari possint ab igne ratione corporum quæ habent, vel quia Deus efficere potest, ut etiam spiritus ab igne crucientur. Tandem lib. 1. de Civitate, cap. 12. & 13. Angelum definit esse *animal rationale immortale.* Hanc similiter sententiam amplectitur Cajetanus in cap. 2. Epist. ad Ephesios, & alii quidam ex recentioribus.

Alidodice Angelos esse ex parte corporeos.

S. Augustinus.

Dico primò: absque omni controversiâ asserendum Angelos non esse adquatè corporeos: ita Auctores jam omnes. Probatur: Angeli namque ut Disput. precedente vidimus, estque apud omnes in confesso, sunt hominibus perfectiores, homines autem non esse planè corporeos, est certissimum, & definitum in Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio, ubi dicitur humanam naturam ex spirituali & corporali esse compositam. Unde S. Isidorus lib. 8. Ethymologiarum, inter alios hæreticos numerat Tertullianos, quod animam hominis corpoream esse dicerent, licet immortalem. Quare S. Augustinus in Plal. 145. *Anima, inquit, res spiritualis, quia incorporea, est vicina substantia Dei.* Deinde Angeli in Scripturâ semper dicuntur creaturæ intellectuales; quod abundè probat eos esse spirituales, quidquid dicat P. Arriaga Disp. 5. de Animâ scct. 2. Hæc Conclusio à fortiori probabitur ex sequente.

V. Certissimum est Angelos non esse adquatè corporeos.

S. Isidorus.

Angeli dicuntur Creaturæ intellectuales.

SECTIO TERTIA.

Angelos ne quidem partialiter esse corporeos.

DICO secundò: Angeli, ne ex parte quidem sunt corporei, sed sunt substantiæ usquequaque spirituales, & incorporeæ, quidquid sit in quo conceptus rei spiritualis & corporeæ consistat, quod nostra in presenti non refert, sed in philosophia discussum suppono, ubi latè de eo disserui, Disp. 7. de Anima per totam. Hic videtur communis hodie Ecclesiæ sensus, & in quem omnes ferme ita conspirant, ut tum ob hoc, tum varias definitiones, quæ istud innuunt, Suarez hic, lib. 1. cap. 6. num. 6. rem hanc existimet esse fere certam: idem censet Valquez 1. parte, Disp. 178. cap. 3. in fine, addens nullum sine temeritatis notâ jam posse oppositam sententiam defendere.

I. Angeli sunt substantia omnino incorporea.

Probatur Conclusio primò: Angeli siquidem in divinis litteris passim vocantur Spiritus: sic ad Hebræos 1. v. 14. de Angelis ait Apostolus: *Omnes sunt administratorii spiritus:* Apocal. 1. v. 4. & cap. 5. v. 6. *Septem spiritus dicuntur assistere ante Thronum Dei:* Item septem spiritus mitti in omnem terram, &c. Christus etiam in Scripturâ dicitur eiecisse spiritus verbo. Demones item appellantur *spiritus immundi.* Ubi Notandum, cum nunquam in Scripturâ vocentur animæ, nec dicantur habere animas, quæ sunt substantiæ spirituales incompletæ, sed appellentur simpliciter spiritus assistentes, seu ministrantes Deo, &c. Notandum inquam hoc signum esse, Angelos diverso modo

II. Scriptura Angelos passim appellat spiritus.

Angeli sunt substantia spirituales completa.

modo esse substantias spirituales ab animabus hominum, & consequenter omnino completas.

III.
Quo sensu
interdum
sumatur
spiritus.

Licet verò interdum in Scripturâ spiritus aliud quam rem incorpoream significet, ut Psalm. 103. v. 5. *Qui facis Angelos tuos spiritus & ministros tuos ignem urentem.* Et Ecclesiasta 3. v. 21. Anima jumentorum vocatur spiritus; Communis tamen & proprius hujus vocis usus, dum absolute proferitur, est ut rem denotet, planè ab omni concretionem corporeâ immunem; sic cum Joannis 4. v. 24. dicitur, *Spiritus est Deus*; hoc est, ut omnes intelligunt, incorporeus.

IV.
Angelos esse
substantias
spirituales
probat ex
Concilio La-
teranensi.

Secundò probatur ex Concilio Lateranensi, sectione præcedente, num. 5. citato: ubi sic habetur: *Simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit (Deus) creaturam spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam, & deinde humanam, quasi communem ex spiritu & corpore constitutam, ubi cum substantiam Angelicam opponat mundanæ, quæ merè corporalis est, & humanam median inter utramque esse affirmet, utpote & corpore & spiritu constantem, apertè sequitur Angelicam substantiam esse purè spiritualem.* Quæ Concilii auctoritas, esto hanc sententiam fortasse non reddat de fide, cum intentum Concilii fuerit definire Deum omnia ab initio condidisse, reliqua verò obiter & secundariò tantum addiderit, ita tamen hanc nostram assertionem probat, ut meritò summæ temeritatis argueretur is, qui huic se Concilii dicto opponeret. Videatur Suarez lib. 1. de Angelis sect. 6. num. decimo.

Ob hoc testi-
monium
saltem te-
merarium
foret negare
Angelos esse
purè spiri-
tuales.

V.
Ex Motu
Cælorum
ostenditur
Angelos esse
spirituales.

Tertiò hæc veritas probatur ratione: primò ex motu sphaerarum Cælestium, quæ tanta cum sint, non videntur à re corporeâ, eâ præsertim velocitate, moveri posse. Quæ ratio contra illos maximè urget, qui Angelos statuunt usquequaque corporeos: contra eos nihilominus vim suam habet, qui eosdem partim ex corpore aiunt constitui; res quippe spirituales, qualitates conjunctionem petunt cum corpore, non tantum in se virtutis habere posse videntur.

VI.
Penetrantur
cum cælis;
ergo non sunt
corporei.

Deinde Intelligentiæ Cælorum motrices eodem cum cælis loco existunt, ergo non sunt corporeæ. Item Angeli ascendant & descendunt de Cælo, Dæmones etiam inde sunt deturbati, ergo cum cælo penetrantur; sphaeræ etenim cælestes, vel omnes, vel aliqua saltem sunt solidæ, imò solidissimæ, quasi *ere fusi*, ut loquitur Scriptura; corpus autem cum corpore penetrari naturaliter non potest. Præterea, Dæmones hominum corpora ingrediuntur, eaque interdum tota occupant: imò integram Dæmonum legionem sexies mille videlicet, sexcentos, sexaginta, sex, legimus in unius hominis corpore simul extitisse; quod sine eorum & inter se, & cum corpore penetratione fieri non potuit. Tandem communis omnium conceptus est, hanc cum rebus corporalibus penetrationem esse Angelis naturalem. Nunc ad ea quæ contra omnimodam Angelorum spiritualitatem objici solent respondeamus.

SECTIO QUARTA.

Objectiones cantendentes Angelos non esse penitus incorporeos.

I.
Quinam in
Scriptura
appellantur
filii Dei.

OBIICTUR primò illud Gen. 6. v. 2. *Videntes Filii Dei* (alia lectio habet) *Angeli Dei Filii* *Hominum* quod essent pulchra, acceperunt sibi uxores &c. Respondetur per Filios Dei hic intel-

ligi posteros Enos, qui, ut dicit Scriptura, cepit invocare nomen Domini: vocari autem possunt Angeli, cum viri justi hoc nomine subinde appellentur. Per Filias verò hominum intelliguntur Filia sceleratorum ex posteris Cain. Alii per Filios Dei intelligunt viros potentes, & robustos, ex quibus procreati sunt gigantes.

Objicitur secundò in septimâ Synodo Actione quintâ, lectum fuisse librum Joannis Episcopi Thessalonicensis, qui ex eo quòd Angeli non essent penitus corporis expertes, infert eos posse depingi: quod ibidem videtur à Concilio receptum. Respondetur, Concilium, auctoris illius intentum, seu quòd Angeli depingi possent, recepisse, non tamen recepisse illius rationem, ut exinde constat, quòd Tharastus Patriarcha, qui Synodo præsidebat, summam repetens quæ ex libro illo recitata fuerant, hoc tantum, non rationem repetierit, & id solùm Patres approbarunt, non hanc, quòd scilicet Angeli non sint penitus corporis expertes.

II.
Non docet
septima Syn-
odus An-
gelos esse ex
parte corpo-
reas.

Objicitur tertio, Angelos oculis interdum ab hominibus cerni, loqui, de loco in locum moveri &c. Ad hoc de motu dico, licet corpora non habeant posse eos moveri. Alia ibi enumerata faciunt per corpora pro tempore assumpta.

III.
Apparet
Angelos in
corporibus
assumptis.

Objicitur quartò, peculiarem quandam in Angelis, præsertim malis esse cum rebus quibusdam corporeis Sympathiam & Antipathiam: sic ad pullum citharæ Davidis Dæmon à Saule recessit: sic Tobia 6. v. 8. & cap. 8. v. 2. dicitur fumo jecoris piscis cujusdam fugatum fuisse Dæmonem, ejusque maleficium depullum. Imò variis subinde pharmacis & amuletis corporeis dæmones arceri, eorumque infestationes impediri videmus. Eandem dæmones exagitandi, & expellendi vim, ut ait Delrius lib. 2. q. 30. sect. 3. tribuunt nonnulli ruta, balneis, stercoi caprino, & flagellationi, ergo quædam in se habere videntur qualitates corporeas, earum rerum qualitatibus contrarias.

IV.
De dæmoni-
cum rebus
quibusdam
corporeis
Antipathia.

Respondetur tamen effectus hosce, non ex vi naturali, & oppositione inter dispositiones illas corporeas contingere; sed quia Deus rebus interdum naturalibus & corporeis ad dæmones abigendos, veluti instrumentis ad hoc elevatis utitur, quod de pisce Tobia & Davidis citharâ merito quis dixerit, præsertim cum ibi Raphaëlis vis in Dæmonem, hic Davidis sanctitas ad malignos hosce spiritus compescendos conduxerit, maximè si pulsationi citharæ psalmus aliquis pius & oratio accesserit, ad hunc finem à Deo obtinendum idonea. Piscis etiam ille, ut ait S. Prosper, Christi Typus erat in cruce torrendi.

Quibus re-
bus fugari
interdum
videntur
dæmones.

Indirectè tamen res quædam naturales vi sua possunt, vel ad dæmonem compescendum vel infestationes ejus impediendas, ac mitigandas conducere: quod de musica præ cæteris non immeritò quis asseruerit, utpote quæ dulcissimâ suâ harmoniâ immoderatos animi affectus mitigat & humore melancholico malignorum spirituum infestationibus maximè obnoxio, suavi illo concentu dissipato, ac depulso, dæmon sua sponte cedit, hominemque, sedem jam ei minus aptam redditum, ad tempus saltem relinquit. Sanè si rei ulli corporeæ vim naturalem dæmones expellendi tribuerem, tribuerem musicæ.

V.
Respondetur
Deum rebus
istis modo
tanquam
instrumentis
ut subinde
uti.

VI.
Indirectè ad
dæmonem
compescen-
dum concu-
tere potest
Musica.

Ad Patres quod attinet, quos supra sect. 2. num. 3. & 4. citavi pro sententiâ Angelos asserente partim esse corporeos, Suarez to. 2. Metaph. Disp. 35. sect. 3. benignè eos interpretari conatur, quasi velint Angelos hoc tantum sensu esse vel ha-

Quæ in ho-
mine efficiunt
operentur
Musica.

VII.
Quandam
Sanctorum
Patrum ce-
ca rationem
corporei in
Angelis ex-
plicat.

vel habere corpora, quod nimirum consistit substantiâ finitâ, & mutabili, nec alicujus compositionis, ut sect. sequente videbimus, capace, sicque ad puritatem spiritus in Deo non pertingunt. Unde sicut ob similem rationem creaturæ respectu Dei dicuntur à quibusdam non esse, seu non existere, & esse nihil; ita hic Angeli respectu Dei dicuntur non esse spirituales, sed corporei. Alii tamen, ut Valentia, Molina, Vasquez, Tannerus, Granado, Arriaga & alii admittunt Patres illos verè in eâ fuisse sententiâ, mihi que vorisimilius videtur eos ita sensisse. Hoc tamen sententiæ nostræ officere non debet, præsertim cum plures Patres à nobis stent, ut S. Dionysius, S. Ignatius Martyr, S. Irenæus, S. Gregorius Nazianzenus, & Nyssenus, S. Epiphanius, S. Chrysoft. & alii.

Plures Patres affirmant quæ negant Angelos esse purè spirituales.

SECTIO QUINTA.

Vtrum Angeli sint ex subjecto & formâ compositi.

I. Difficultas hæc procedit ex sententiâ materiam spirituales admittentis.

DIFFICULTAS hæc in nostrâ præcipuè sententiâ procedit, qui Disp. 9. de Anima sect. 2. & 3. possibilem esse diximus substantiam incompletam spirituales, aptam quæ tanquam compars animam rationalem, seu formam substantialem spirituales compleat, & cum eâ unum totum, seu compositum substantiale spirituales constituat, sive ea vocanda sit materia spirituales sive non. In hac itaque sententiâ, nulla apparet ratio cur Angeli ex hujusmodi materiâ non componantur: & ita de facto sentire videntur Halensis, S. Bonaventura in 2. dist. 3. art. 1. quæst. 1. Richardus in 2. dist. 3. art. 5. q. 2. & art. 2. q. 1. & alii.

II. Angeli simplices sunt, & non ex materia & formâ compositi.

Dicendum nihilominus, licet aliqua compositio substantialis defacto reperiatur in Angelis, non tamen componi eos ex materiâ & formâ, tanquam ex partibus substantialibus. Hæc est communis Theologorum sententiâ cum S. Thoma hic q. 50. art. 2. Prima pars constat, Angeli siquidem componuntur ex naturâ & substantiâ, nulla quippe est ratio, cur hoc animæ concedatur, & negetur Angelo: unde secundum omnes, eorum naturæ à verbo sunt assumptibiles, non minus quam naturæ hominum, dicente Apostolo ad Hebræos 2. v. 16. *nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*, non autem esset hoc speciale beneficium, & amor in humanum genus (quod tamen illic insinuat Apostolus) si Deus Angelos assumere non potuisset.

Secunda verò conclusionis pars, Angelos scilicet non esse ex materia spirituales & formâ compositos, probatur communi Theologorum prope omnium consensu, licet evidente aliqua ratione ostendi nequeat. Quare S. Thomas q. 6. de potentia, art. 6. *ad quartum*, hac de re disputans, cum quartum argumentum contenderet Angelos, & Dæmones si sint compositi substantialiter, debere necessariò esse corpora & constare nostrâ materiâ; sic Respondet: *Ad quartum dicendum, quod si Angeli ponantur ex materia & formâ compositi, non propter hoc oportet quod sint corporei ex ratione prædictâ, nisi ponatur quod sit eadem materia Angelorum & corporum: posset autem dici quod esset alia materia, à materiâ corporum divisa, non quidem dimensionis divisione, sed per ordinem ad alterius generis formam, nam potentia actus proportionatur: magis tamen credimus quod non sint Angeli ex materia & formâ compositi, sed sint formæ tantum per se stantes: Hæc S. Thomas.*

III. Communis Theologorum consensus ostenditur Angelos non esse ex materia & formâ compositos.

S. Thomæ.

His verbis Angelicus Doctor nostram tradit conclusionem, Angelos nimirum non componi ex materia & formâ, quamvis hoc demonstrari non possit, sed solum ex communi consensu habetur. Ratio autem seu congruentia, cur hoc omnium animis infideat, esse videtur; cum etenim in Angelis, utpote præcipuis inter res creatas, & Universi principibus, dignitatem quamdam omnes concipiant, concipiunt similiter eos & maxime à rebus sublunariis remotos, & consequenter ab hac compositione, quæ passim in his rebus invenitur, immunes. Sicut ob eandem rationem affirmant multi Cælos esse corpora simplicia, etiam non repugnet cæli ex materia & formâ compositi. Eodem ergo modo Angeli erunt spiritus simplices: magis tamen, ut ait S. Thomas citatus, credimus hoc quam probamus.

IV. Hæc in existendo simplicia quædam præ se fert spiritus dignitatis Angelorum.

Cæli sunt corpora simplicia, Angeli spiritus perfectè simplices.

Hinc à fortiori sequitur Angelos non esse compositos integraliter, seu habere partes extra partes, extensionem in ordine ad locum postulantes. Imò existimo hujusmodi partes in substantiam spirituales cadere non posse, planeque perfectionem ejus ac dignitatem dedecere; maxime cum, ut Disp. 8. de Anima, sect. 1. vidimus, Aristoteles, & S. Thomas, aliique viri doctissimi, formas etiam materiales animalium perfectorum asseruerint esse indivisibiles. Quod ergo hi brutis negant, quis tribuet Angelis: imò ut dixi, in re tam perfectam imperfectus adeo existendi modus videtur omnino cadere non posse.

V. Angeli nec sunt, nec esse possunt compositi integraliter.

DISPUTATIO LXIX.

De numero, & distinctione Angelorum.

SECTIO PRIMA.

Quo numero creati sint Angeli.

I. Quis de Angelorum numero senserit Aristoteles, & alii ex antiquis.

LURES de facto dari Angelos nulli dubium, qui Angelos admittit: quot verò sint, magna est inter auctores controversia, diversis ut sit diversa opinantibus. Aristotel. 12. Metaphy. cap. 8. numerum Angelorum solummodo posuit secundum numerum orbium celestium; ad quos, inquit, movendos tantummodo sunt producti. Unde ibidem asserit Commentator, *quod si essent substantie immateriales non moveres, essent otiosa*. Priori numero adjicit Avicenna aliam Intelligentiam mundi sublunaris præsidem, cujus munus esse docet formas substantiales in materiam dispositam inducere: sed ut rectè S. Thomas hic, quæst. 50. art. 3. ad tertium, cum primarius Intelligentiarum finis non sit movere

R. P. Compton Theol. Scholast. Tom. I.

Dd

Cælos,